



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De vana gloris. Cap. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

hil sint nisi vanitas: *Vanitas vanitatum*
 & omnia vanitas, ait Ecclesiastes.
 Quòd si secum attentè consideraue-
 rint, sola necessitate contenti erunt:
 curiositatemq; curiosis relinquunt.
 Si namque mihi sufficit parua cellu-
 la, cur eam curiosam & amplam ha-
 bere cupiam? si tibi & familiae tuæ
 sufficit pro necessaria habitatione
 honesta domus, cur pro ea magnifi-
 cum & spatiosum palatiū exstruis?
 si pro corporis mei cinctura gros-
 sus funis mihi satis est, cur alium
 candidum, subtilem, affabreque fa-
 ctum quærā? Si mihi pro signis siue
 registris Breuiarij, fila aut cartarum
 particulæ aut imagunculæ aliquot
 deuotè sufficiant, cur eadem ex bys-
 so contexta, colorum varietate di-
 stincta, ac percuriosā expetam?

De vana gloria,

Macula XI.

CAPVT XII.

C*um ieiunatis nolite fieri sicut hypocri-
 te tristes. Ingens & admodum
 turpis est vanae gloriae macula, pro
 eluendum.*

Matt. 6.

*Vana gloria
 difficilis ad
 eluendum.*

E qua

qua eluenda, multis aquis & smigmatibus, singularique diligentia & industria opus est. Etenim nisi seruus Dei omni studio & cōtentione ab hac labe se liberare cōnitus fuerit, loco serui Dei, constituetur martyr Diaboli, dum carnem quidem suam inedia, ieiunijs, vigilijs, flagellis, alijsque rebus duris & asperis atterit, & martyrizat: per vanam verò gloriam, omnium horum iacturam patitur, & pro labore suo infernum lucrifacit.

*Hypocryta
martyres
Diaboli.*

*Vana gloria
quàm sub-
tilis.*

Vehementer subtile est vitium vanæ gloriæ, & quod admiratione dignum est, cum maxima & insigni macula animam contaminet, vix tamen ea cernitur.

Nascitur autem ut plurimum, ex ipsis bonis & præclaris pietatis actionibus: quapropter cæteris vitijs est perniciosius, nullumque est inter omnia, quod maioribus damnis animam piam afficiat, quodque Deo magis displiceat.

*Exemplum
de Beata*

Hinc legimus de Beata Clara de monte Falcone, quod propter ex-
guam

quam tentationem vanæ gloriæ, *Claramon-*
 subtractus ei fuerit à DEO annis *tis Falconis.*
 quindecim, diuinæ dulcedinis &
 spiritualis illuminationis, influxus:
 nec prius poterit eum recuperare,
 quamuis multis lachrymis, ieiunij,
 cilicijs, flagellis & orationibus
 Deum instantissimè deprecaretur.

Hæc vana gloria seruos fideles *Vana gloria*
 ab infidelibus secernit, qui alioqui *discernit in-*
 vix dignosci possent, cum eadem fe- *ter veros &*
 rè opera exercent: Sicut enim ve- *fictos Dei*
 rus Dei seruus ieiunij & inedia *seruos.*
 carnem affligit, orationibus conti-
 nuis incumbit, largas in pauperes
 eleemosynas erogat, & alia præcla-
 ra pietatis opera facit: Ita fictus, ap- *Veri & ficti*
 parens, & infidelis seruus, secundum *serui Dei in*
 exteriorè speciem eadè frequenter *quibus dif-*
 operatur: sed in hoc ab altero dif- *ferant.*
 fert, quòd omnia ferè propter vanā
 gloriā faciat, vt nimirū hominibus
 placeat, & laudes humanas, aurās-
 que populares aucupetur: At nō ita
 verus Dei seruus, qui ea solius Dei
 amore perficit, vt que illi tantum-
 modò per ea placeat, studet. Quare

100. SPECVLVM ANIMAE
vnicuique in operum suorum confi-
deratione, sineque illorum expen-
dendo, maxima diligentia & cauti-
one opus est, vt si opera eius vana
gloriae labe conspersa fuerint, eam
eludere valeat: si verò hac macula
necdum inquinata fuerint, prospici-
at, ne hac labe contaminentur.

*Modus eluendi maculam vana
gloriae.*

*Quomodo
collatur va-
na gloria.*

PRIMVS modus maculam hanc
perpurgandi est, considerare no-
stram vilitatem: scelerum nostrorum
multitudinem & foeditatem: no-
stramque erga Deum ingratitude-
m, qui sine vllis nostris meritis, imò
plurimis flagitijs nostris prouoca-
tus, nos è peccatis extraxit: gratia
sua praeuenit & confirmauit: & à
multis alijs criminibus, in quae in-
currissimus, praeferuauit.

*Opera no-
stra nulla
sunt.
Luc. 17.*

SECUNDVS modus est. Animo
expendere opera nostra nulla esse.
De quibus Christus discipulis ait
*Cum feceritis omnia, dicite quia serui in-
utiles sumus. Qui itaque opera sua
bona*

bona quamvis infinita diligenter ad hanc Christi sententiam expendit & examinaverit, utique existimabit sine divina gratia illa prorsus inutilia esse, ut ait Christus.

TERTIUS modus est. Cogitare quod si Deus, eam gratiam quam nobis largitus est, alteri contulisset, multo nobis maiora operatus esset: Hic possemus in memoriam nobis reducere, quam multa & præclara sancti egerint, quamque opera nostra si cum illorum operibus conferantur, perexigua sint. Præterea reuoluere, quod vel hodie peccator aliquis conuerti posset, qui plura bona opera efficeret, quam nos vel agamus, vel egerimus, vel unquam acturi simus.

QUARTUS modus est. (Ut numerum ternarium excedamus, cum vitium hoc cætera omnia superet.) Fugere & abhorrere omnem laudem, honorem, & fauorem humanum, quoad fieri potest, toto corde desiderando pro honore ac veneratione, qui nobis exhibetur, ab omni-

Fugiendus est omnis honor.



102 SPECULVM ANIMAE
bus contemni, vilipendi, & ludibrio
haberi. Denique in virtute sancta
humilitatis acquirenda plurimum
operę ac studij collocare, ac seipsum
non aliter ac Dæmonem quendam
odisse, fugere, & horrere.

*quàm vile
sit propositū
sepè reso-
nare.* QUINTVS modus est. Sæpè
proposita renouare, & intentionem
ad verum scopum dirigere, ac seip-
sum & omnia opera sua toto corde
diuinę maiestati offerre.

*De distractione animi,
Macula XII.*

CAPVT XIII.

*Proverb. 4.
Damna que
ex distracti-
one cordis
proueniunt.* OMNI custodia serua cor tuum, ait
Sapiens: Magnum impedimen-
tum, quo anima quę Deo vniri de-
siderat, à scopo suo præpeditus, est
Nimia mentis distractio, dum non
custodit cor suum, nec cogitationi-
bus frænum inijcit: sed eas quocun-
que voluerint, liberè diuagari per-
mittit. Quo fit vt omnis in ea deuo-
tionis ardor extinguatur, lentequę
ac oscitanter spiritualem semitam
perambulet: ac semper frigida, &
qual